



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

E.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

E.

EDMVNDVS AVGERIVS, natione Gallus, patria Trecentis, ex ephelis vix excesserat, cum Romæ ad portum appulit Societatis; in qua litteras humaniores docuit. Poëta & Orator excellens, ingenio, memoria, iudicio valens. Hic in Galliis multa & miranda patravit pro fidei Catholicæ defensione. Turonensis, Tolosani, Lugdunensis Collegiorum Rector fuit, ac Prouinciæ Aquitanix Præpositus Prouincialis. Primarias illius Regni ciuitates concionibus illustravit, maximè Lutetiam, Burdigalam, Tolosam, Lugdunum: Principibus viris in honore fuit, Henrico III. Regi Gallix etiã carissimus. Lugdunensem ciuitatem, peste corporali & spiritali propter hæreses grauissimè laborantem, tum vigilantia atque industria, tum doctrina atq; consilio, ab interitu propemodum vindicauit. Captus aliquando ab hæreticis, & ad laqueum damnatus; dum ad patibulum ducitur, neci mirabiliter à DEO ereptus est. Capti enim admiratione EDMVNDI eloquentiæ, & commiseratione tacti, iuuenis tunc ætate atque ingenio præstantis, parcendum illi esse hæretici existimarunt, sperantes ad suas ipsum partes adduci posse. Scripsit,

Catechismum Gracè, Latine, & Gallicè, ad refutandos Calvinistarum errores valdè vtilem, atque eruditum; quem plurimi legentes, vel in fide Catholica confirmati, vel ab hæresibus liberati sunt: quemque locis SS. Patrum integrè notatis, Franc. Antonius noster illustravit. Scripsit & Gallicè AVGERIVS De Sacramentis.

De Baptismo & Confirmatione.

De

De Eucharistia.

De Sacrificio Missæ.

De Sacramento pœnitentiæ, & extrema vnctionis.

De Matrimonio.

Theſaurum precum pro vniuscuiusque ſtatu.

Epistolam contra Petrum Viretum pro Societate IESV, Gallicè.

Militarem institutionem, qui Pedagógus inscribitur, Gallicè.

Denique ex Gallia, propter intestina & plusquam ciuilia patriæ bella, in Italiam profectus, Nouocomij mortuus est, anno salutis M. D. XC.

EDMVNDVS CAMPIANVS, natione Anglus, patria Londinensis, Martyr Christi inclytus, & nostri sæculi clarissimus. Puer cum esset, humanioribus litteris imbutus est Londini: adolescens in Oxoniensi Academia, grauioribus etiam disciplinis perpolitus; vbi ex consuetudine condiscipulorum infectus, & hæreticorum persuasionibus circumuentus, Diaconum ab impostoribus & pestiferæ sectæ ministris se ordinari passus est. Postea verò ad expiandum scelus à se commissum Anglia egressus, in Duacensi Anglorum Catholicorum Seminario aliquamdiu commoratus, sacram Theologiam egregiè didicit, & Magistri lauream accepit. Neque hoc contentus, animum ad Societatem nostram appulit, vt se totum in salutem suorum ciuium impenderet, & hæreticos suo ipsorum gladio iugularet. Quamobrem Romam profectus est, atque in Societatem admissus, anno salutis M. D. LXXIII. inde in Germaniam amandatus, ibique rudimentis Religionis positus, aliquot annos Pragæ Philosophicas disciplinas docendo, & Latinè concionando, con-

D

sum-

sumpsit. Demum in patriam anno salutis M. D. xxc. summi Pontificis Gregorij x i i i. iussu reuertit: vbi mirum quantum profecerit, quot hæreticos ad meliorem mentem reuocarit, quot Catholicos vacillantes in fide confirmarit, quot fortes in aciem pugnamque eduxerit, vitæ exemplo, excellenti doctrina, ingenij acumine, agendi dexteritate, disputandi subtilitate ac robore. Ex quo in magnum hæreticorum odium incurrit: à quibus omnibus vestigiis perquisitus, tãdem ex insidiis captus est. Sed tentatus eius animus, cùm neque promissis neque terroribus cederet, neque altercationibus cum hæreticis sapiùs habitis vinci posset; neque tormentis dilaniatus, se de proposito Catholicæ Religionis colendæ deduci pateretur; tamquã perduellionis reus ad supplicium damnatus est. Itaque raptatus, suspensus, semiuiuus de furca deiectus, corde spiranti adhuc euulso, pudendis abscissis, in ignem visceribus coniectis atq; combustis, pius ab impiis, sanctissimus vir à nefariis Regina Elizabethæ Consiliariis, in patria sua, vniuerso spectante populo, bonis gementibus, hæreticis gaudentibus, & constantiam eius admirantibus, pro Catholica Religione, & summi Pontificis suprema potestate, immanissimè maectatus est, anno salutis M. D. xxci. Kalendis Decembris. Scripsit EDMONDVS CAMPIANVS elegantissimos *De Hibernia insula Commentarios.*

Epistolas item & Orationes nonnullas ornatissimas, in quibus & de M. Tullij imitatione venustè disseruit.

Aureum libellum, cui titulus est:

Rationes decem, quibus fretus certamen aduersariis obtulit in causa fidei EDMONDVS CAMPIANVS è
Socie-

Societate nominis IESV presbyter. In hoc perexiguo libello vix credi potest, quàm multa fidei dogmata paucissimis verbis perstringat, quanta eloquentia, ingenij vi & perspicacia, quanto rerum coaceruatarum numero ac pondere obruat aduersarios.

Martyrium CAMPIANI Gallicè conscriptum, itemq; Latinè à Gulielmo Estio Batauo, S. Th. Duacensi in Academia Doctore Regio, circumfertur.

EDMUNDVS HAIVS, natione Scotus, vir fuit valdè religiosus, prudens atque eruditus: qui Præpositus Prouincialis Franciæ prouinciam gubernauit, & Assistentis apud P. Claudium Aquaiuam Præpositum Generalem munere functus est Romæ, in eoq; munere decessit è vita. Scripsit contra hereticos, maximè Calvinistas, librum cui Titulum fecit, *Contrarietates Caluini.*

EDWARDVS SANDIUS, natione Lusitanus, patria Olyssiponensis, in Professorum domo sancti Rochi ad nostros aggregatus est: facultatem Oratoriam in Collegio Conimbricensi feliciter docuit, ac multis magnisq; pro Christo in Lusitania susceptis laboribus, in orientis Solis Indiam nauigauit, Collegiiq; Machao Chinæ adiacentis Rector fuit. Inde in interiora terræ, zelo fidei Christianæ propagandæ delatus, multisq; Gentium ad veritatem conuersis mortuus est. Scripsit *Itinerarium quattuor Iaponensium Principum*, qui fidei nostræ Sacramentis imbuti, magno Religionis Christianæ colendæ incensi desiderio, è Iaponia soluentes, anno salutis M. D. XXCIV. in Lusitaniam appulerunt, & per Hispaniam Romam profecti, Christianorum Regum Iaponensium nomine, Pontifici Maximo obedientiam obtulerunt: à quo benignissimè accepti, & li-

beralissimè remunerati sunt. Inde Italia obita, in patriam renauigantes, nouo miraculo incolumes omnes peruenerunt, magna suorum ciuium admiratione, Christianorum gaudio, & Christi gloriæ amplificatione; ac tandem omnium rerum, quas viderant, cognita atque reiecta vanitate, quatuor Iaponenses Principes felicissimè sua legatione perfuncti, nostram Societatem in patria sua ingressi sunt. In suo autem *Itinerario* EDVARDVS regiones ac prouincias recenset quas peragrarunt, nationum mores describit quas lustrarunt: triumphos pingit quibus per Italiam excepti; munera denique refert, quibus à magnis Principibus donati sunt.

EMANVEL ACOSTA, natione Lusitanus. Scripsit *Commētarium de gestis à Societate in India Oriētali*: què Latinū in sermonē Io. Petrus Maffeijs cōuertit.

EMANVEL ALVAREZ, natione Lusitanus, patria ex Maderę insula, pridie Non. Iunij anni salutis M. D. XLVI. in nostrorum numerum adscriptus est; qui, cum eximia vitæ integritate prudentiaque præstaret, Rectoris Collegiorū Conimbricensis, Ebo-rens, Olyssiponensis, Præpositi etiam professæ domus S. Rochi munere functus est. Sed cum non minùs tum ceteris omnibus, tum verò humanioribus potissimùm litteris excelleret, qua erat (humilitate caritateque præditus) in formanda ad pietatem iuuentute, & ad Latinam, Græcam atque Hebraicam linguam instituenda expoliendaque, plurimos annos impendit. Scripsit,

Libros de Arte Grammatices valdè præclaros, qui doctis viris mirificè probantur, quos & Commentariis postea copiosè Antonius Velleius Lusitanus & ipse illustrauit.

Demum

Demum bonorum operum plenus, in Collegio Eborensi vitam cum morte commutavit anno salutis M. D. LXXXII. 30. Decemb.

EMANVEL PIMENTA, natione Lusitanus, patria ex oppido Scalabe, vulgò *Santaren*, Diœcesis Olyssiponensis, Eboræ in Societatem cooptatus est xxx. Aprilis, anno salutis M. D. LVIII. ætatis XVI. Studiis nostrorum tum Eboræ tum Conimbricæ præfuit; Artem dicendi, ceterasque politiones summa cum laude docuit; Concionatoris & Confessarij partes egit: denique omnis norma & tamquam speculum virtutis fuit, & Eboræ feliciter obdormiuit in Domino Kalendis Octob. anni salutis M. DC. III. Tomos duos reliquit *varia Poëmata* continentis, in quibus magnum elucet ingenium, atque stylus elegantissimus diuite fluit venâ.

EMANVEL SA, natione Lusitanus, patria Interamnenensis, ex oppido Villa de Conde, ad Societatem aggregatus est anno (ni fallor) salutis M. D. XLVI. in ipso flore adolescentiæ: quo ex tempore per totos quinquaginta annos mirabiles in virtute & in litteris fecit profectus, bonitate naturæ, ingenij magnitudine, animi contentione, assiduitate studij. In omni disciplinarum genere diligentissimè versatus est: Aristotelicas disciplinas & Gandiæ & Romæ exposuit. Quæstiones Theologicas D. Thomæ in Collegio Romano enodavit: Diuinas litteras est interpretatus. Ex cathedra discipulos docuit: de superiore loco ad populum verba fecit. Nullum denique prætermisit litterarię exercitationis genus, quod magna religione, doctrina, industria, non coluerit. Scripsit,

Scholia breuia quidem, sed erudita, in quattuor

D 3

Euan-

Euangelia, ex selectis Doctorum sacrorum sententiis collecta, quam verè *auream catenulam* possis appellare. Scripsit etiam,

Notationes in totam Scripturam sacram, quibus tum omnes ferè loci difficiles, tum variæ ex Hebræo, Chaldæo, & Græco lectiones mira breuitate explicantur; opus concisum quidem & cōtractum, sed magnis laboribus atque indefesso studio elaboratum ac perfectum. Scripsit præterea,

Aphorismos casuum conscientia.

Postremò Arronę Mediolanensis Diocesis, in probationis domo (quò se, vt Deo liberiùs vacaret, abdidit) sanctissimè, prout vixit, mortuus est xxx. Decembris, anno salutis M. D. xcvi. septuagenario maior: cui morienti Beatissimã MARIAM virginem & B. P. nostrum IGNATIVM apparuisse, dièmq; obitus prænuntiasse, fama est.

EMANVEL DE VEGA, natione Lusitanus. Scripsit,

Aliquot Opuscula de sacrosancta Eucharistia, & contra hereticos Arrianos Transyluaniã deuastantes.

EMERIVS DE BONIS, natione Italus, B. P. nostro IGNATIO adhuc viuente, ad nostram se Societatem adiunxit, & plurimos annos concionibus ad populũ habendis vtiliter transegit. Scripsit Italicè,

Librum de statu Religionis.

De sanctissimo Sacramento. &

De ratione confitendi, & audiendi sacrificij Missæ.